

vertuntur^e ^fpopulo dare^e [a] licentiam. Ut autem hostes praedictos ad iter impediendum paratos Faventini conspexerunt [b], subito armis acceptis, ut armatae [c] tigrides, sic fremunt invadere ipsos. Sed rectorum praeepto cunctis ad proprium vexillum redactis, et omnibus rite paratis pro tempore, post consultum et uniuscujusque ad alterum exhortationem, Teudericus [d] de Guilielmo, nobilis et potens Faventinus civis, sagax ingenio et eloquentia [e] clarus, atque in rebus bellicis strenuus, postquam tumultum ad bella ferventium manu et voce compescuit, sic clamans ait:

Oratio domini Theoderici de Guilielmo [f]

« Gaudete socii veterani qui mille mecum pericula mortis experti, novistis hucus-
« que triumphare de hoste. Laetamini iuvenes, quorum vultus minaces et rigidos ad
« hostes considero, et animos ad bella erectos perpendo. Exultate omnes, qui post
« victoriam spoliis hostium honorari [g] optatis. Haec est, inquam, dies quae, su-
« perna largiente gratia, hunc finem [h] guerrae imponit [i] et nostros conteret inimi-
« cos; haec est dies, quae verae pacis erit initium, atque aeternam [j] nobis pariet
« gloriam [k]. Talem quidem diem cupiebant nostri videre majores. Viderunt multosque,
« et gavisum sunt gaudio magno, adepti victoriam saepissime magnam. Quos nocte die-
« que quondam querebatis, en, ut cernitis, adsunt, sponte se offerunt nobis usu [l]
« debitam cum spoliis multis promittunt victoriam. Sequuntur hodie patrum vestigia,
« qui quanto in primo impetu belli nos olim expugnabant ferocius, tanto deinceps no-
« bis resistebant lenius, terga nobis denique vertentes. Profecto hic sunt Ravennates
« corpore, domi animo; contra nos vocibus raucis atque exilibus clamare [4] laborant;
« sed pavore [m] perterriti de fuga corde deliberant. Vos autem,

« Si plene vultis patribus succedere vestris,

« Discite posse pati

« famem, sitim, frigus, calorem / et maximum cum vigiliis laborem. Contendite a
« patribus [n] praeterea vestris summam in praedium perseverantiam virum,

[a] *populo dare*. Sic C. V.; *dere*, C. M.; unde cl. Mitt. deducit *dedere*. — [b] *Faventini conspexerunt*. Sic corrigi cl. Mitt. In Codd. est, *Faventini conspecti*. — [c] *ut armatae*. Sic C. V.; *ut animosae*, C. A.; *armatae* legit cl. Mitt. — [d] *Teudericus*, C. M.; *Tedericus*, C. V.; *Theodoricus*, C. A. — [e] *eloquentia*, C. V.; *loquentia*, C. M. — [f] *Theoderici de Guilielmo*. Sic hoc in loco C. M. — [g] *hostium honorari*, Codd. M. et V.; *hostium onerari*, C. A. — [h] *huic finem*, C. M.; *hic finem*, C. V.; *hunc finem*, C. M. — [i] *finem... imponit*. Sic Codd; an legendum, *finem imponet*? — [j] *atque aeternam*, Codd. M. et V.; *atque etiam*, C. A. — [k] *pariet gloriam*, Codd. M. et V.; *pariet gratiam*, C. A. — [l] *nobis usu*. Sic C. M. et cl. Mitt.; *nobis visu* Codd. V. et A. — [m] *sed pavore*. Sic legendum putat cl. Mitt.; *si pavore*, habent Codd. — [n] *Contendite a patribus*. Codd. M. et A. habent *conterite*; sed legendum puto, cum cl. Mittarellio: *contendite*, subintellecto verbo *servare*, quod infra ponitur. Nec ideo necessarium est addere verbum aliud, nempe *incitari* aut aliud simile.

[4] Ranarum raucas voces attribuit Tolosanus per irrisionem Ravennatibus, quia palustria loca inhabitant. At Ravennates nolint, quaeso, subirasce nobis, qui auctorem exscribimus, quique tanta in eos ferimur observantia, quam qui maxime.